

1 / Nos Robertus miseratione divina tituli SS^{ae} Mariae in Via,
presbyter cardinalis Bellarminus, auctoritate et mandato Sanctis-
simi Domini Nostri D. Pauli Papae V reconciliavimus catholicae ec-
clesiae rev^m patrem dominum Simeonem Vretaniam episcopum Rascia-
5 norum et professione fidei, qualem Graeci facere solent cum ad ec-
clesiae Romanae obedientiam veniunt, in manibus nostris coram tes-
tibus facta, absolvimus eum ab excommunicatione et suspensione, in
quam inciderat ratione schismatis et ordinationis ab episcopo schi-
smatico susceptae, et dispensavimus eum illo super irregularitate,
10 quam incurrerat eo quod nondum absolutus ab excommunicatione et
suspensione sacra celebraverat et ordines etiam sacros aliis con-
tulerat.

(autogr.) Eundem autem sic reconciliatum et absolutum SS^{mus} Domi-
nus noster Papa pro vero episcopo Rascianorum graecum ritum tenen-
15 tium, non tamen schismaticorum, per Hungariam, Sclavoniam et Croa-
tiae fines, necnon per extremas Carni~~ol~~ae partes sub dominio Sere-
nissimi Archiducis Ferdinandi habitantium recognovit et admisit;
atque eum paterno affectu commendat omnibus principibus et magis-
tratibus, sub quorum temporali iurisdictione praedicti Rasciani
20 degunt; eosdemque principes et magistratus paterne hortatur ut
praedictum dominum Simeonem episcopum non solum in officio suo non
impediant, sed potius eum defendant et malos homines ei repugnan-
tes christiana pietate coerceant. In quorum omnium fidem praesen-
tes literas a nostro secretario scribi et à nobis manu propria sub-
25 scriptas sigillo nostro signari mandavimus.

Datum Romae in palatio nostrae solitae residentiae, die 19 no-
vembris, anno Domini 1611, Pontificatus sanctissⁱ domini nostri D.
Pauli Papae V anno septimo etc.